DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DYSENTERIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ALEXANDER MENZIES,

SCOTUS,

Societ. Reg. Med. Edin. Soc.

Necnon

Societ. Amer. Physf. Edin. Praes.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCIII.

Viro

Nobili

JOANNI M'ENZIE

DE MENZIES;

EQUITI BARONETTO,

Hafce ftudiorum primitias

Quantulafcunque,

Grati animi,

Obfervantiaeque fummae

Teftimonium,

Sacras

Voluit

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA.

Auct. ALEX. MENZIES.

SI nobiscum meditemur, quam saepe haec affectio, in castris aliisque locis, in quibus mortales coetu frequenti cohibentur, vigere solet; quam rapide diffunditur, parumque abesse quin aeque venenosa, et mortifera, ac ipsa pestis, sit; vix alius datur morbus, qui majorem medici solertiam et assiduitatem sibi vindicat. Sic a Cel. Culleno definitur:

" Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes
" mucosae, vel sanguinolentae, retentis plerum-
" que faecibus alvinis, tormina, tenesmus."

HISTORIA MORBI.

Exeunte aestate, vel ineunte autumno, post pluvias ingentes, quibus tempestas praeter solitum calida, ac sicca, cum frigidiore alternans, supervenit, dysenteria plerumque invadit; nonnunquam vero se maturius ostendit; sed in illa tempestate torrida, ad statum suum pervenit, et sex hebdomadas aut menses duas perstare solet: Tunc paululum remittit, donec, hieme appropinquante, vastatio ejus exitialis prope reprimitur. Nonnunquam quidem diutius perstans ad mensem Decembris, vel Januarii usque durat. Hanc inter ac febres intermittentes, et remittentes, aliquis nexus intercedere videtur, eadem loca, eae-

demque

demque res circumſtantes, in quibus occurrunt, adeo dyſenteriae excitandae favent, ut, ubicunque illae graſſantur, haec ſaepe ibidem vigeat, et pyrexia, quae comitatur, haud parum remittentium indolem induat. In regionibus frigidioribus, in quibus calor non adeo intenſus eſt, et ubi hic, et frigus, haud tam ſubito, et inſigniter, ſe invicem excipiunt, dyſenteria eſt morbus rarior.

Prima tentationis dyſenteriae ſigna ſunt varia; modo paulalim obrepit, modo ſubito cum omnibus, quibus inſignitur, indiciis, irruit. Pyrexia plerumque hunc morbum ab initio uſque comitatur, et, re ita ſe habente, aeger a motu abhorret; languoris ſenſu, capitis dolore, et animo demiſſo, afficitur; haec ſigna, poſt unum alterumve diem, rigores, dorſi, atque lumborum dolores, nauſea, vomitio fellea, et abdominis affectio, excipiunt. Alvus ſaepe adſtricta eſt, et ventris inflatio adeſt; interdum vero morbus a

diarrhoea

diarrhoea incipit. Æger jam torminibus, quae dejectionibus quibusdam liquidis, plerumque naturalibus, levantur, brevi afficitur. Febris cito augetur, et vires magis insigniter convelluntur; desidendi desiderium magis urget; dumque huic indulgetur, tormina summa, et tenesmus acerbissimus, excruciant aegrum, cujus dolores, nulla alia mercede, quam muci nonnihil dejectione, plus minus sanguinolenta, compensantur.

Febris, quae una cum hoc morbo accenditur, eundemque comitatur, pro rebus circumstantibus, variat: Modo ad inflammationem pertinet, et pulsu valido, ac duro, comitatur; saepius vero typhi naturam induit, et arteriarum pulsus frequentes ac debiles, atque alias debilitatis notas comites habent: Modo autem febris est remittens, et tertianae typo insignitur. Verisimile quidem videtur, febrem nihilo unquam ad inflammationem magis pertinere, quam febris continua vulgaris, quando synochi larvam sub-

dole

dole induit. Quamvis haec affectio plerumque a pyrexiae signis inchoat: Signa tamen, loco propria, interdum, nulla antecedente febre, plane ac distincte, insignita, se ostendunt, (Equitis Pringle opinio fuit, febrem plus minus facile observandam, hunc morbum semper ab initio usque comitari), in quo casu aeger torminibus, ventris fluxu, et desidendi desiderio, una tentatur: Febris plus minus maligna, a rigoribus incipiens, brevi supervenit, morbumque comitatur, donec exitium aegro affert, vel mitigata, formam chronicam induat; quand omorte terminatur, febris plerumque causa est.

Tormina dysenteriae, sub tentationis initium, variae in totum abdomen diffusa, sentiuntur, et praecipue ad partes ejus superiores referuntur; anorexia, nausea, fellisque vomitione, comitantibus; progrediente vero morbo, magis fixa fiunt, et in partibus coli inferioribus, et recto, praecipuam suam sedem figunt. Dejectiones in hoc

morbi

morbi ſtadio admodum frequentes fiunt, aeger enim interdum quadragies vel quinquagies deſidet, et nihil fere dejicitur, dum tormina, teneſmus perſtantia haud vel minime remittunt. Dejectionum ſpecies varia eſt; modo mucoſae ſunt, quando exemplar dyſenteriae albae auctorum praebent; plerumque vero ſanguine ſtriatae, vel commixtae, exiſtunt; coloris modo naturalis, modo ſubviridis, vel orichalcum referentes, odorem intolerandum diffundunt. Stercus naturale raro, niſi inſtar globulorum induratorum, qui Scybala appellari ſolent, dejicitur.

Morbus cum his ſignis interdum ſponte paulatim remittit; omnia ſigna temperatiora fiunt, tormina et teneſmus tandem decedunt; et dejectiones, caeteraeque omnes functiones, naturales evadunt; vel plerumque, remediis idoneis, diligenter adhibitis, cedunt, aegerque convaleſcit.

Sin

Sin autem morbus negligatur, et indolis malignae sit, violentia aucta progredi solet; omnia enim signa ingravescunt, tormina violentiora et molestiora, desidendi cupiditas importunior, et fere perpetua, fiunt, dolores et tenesmus graviores jam facti, ani prolapsum inducunt. Ingens adest anxietas, abdomen fit tensum, et sanies, modo purulenta, modo sanguinolenta, cum faetore plane intolerando, dejicitur. Jamque aegri vires rapide convelluntur, lineamenta mole minuta collabuntur, facies cadaverosa fit, jamjamque glutiendi facultas amissa est, corporis extrema frigescunt, sudores gelidi prorumpunt, arteriarum pulsus intermittunt, et dolores jam subito cessantes, dejectionesque faetoris cadaverosi, mortem miserando instare denunciant.

Lingua in hoc morbi stadio nigricans, ac aspera fit, dentes crusta nigra obducuntur, aphthae fauces obsident. Stranguria saepe adest, et alimenta in ventriculum recepta, uti in lienteria

fi,t

fit, ne minime quidem mutata, per inteſtina tranſeunt; moleculae, ſebaceae vel caſei inſtar, dejiciuntur; petechiae, appropinquante morte, ſe oſtendunt; et convulſiones, aliaeque nervorum affectiones, haud raro tragoediae finem imponunt.

Hujuſce morbi duratio varia eſt: Æger modo eidem quatuor vel quinque dierum ſpatio ſuccumbit: Modo cruciatus, in diem decimum ſextum, vel decimum octavum uſque, protrahuntur, et tandem e medio tollitur; quando vero ſpeciem mitiorem induit, cum ſigna minus graviora fiunt, et res externae magis favent, ſaepe ſanatur, vel chronica fit, vel in diarrhoeam mutatur.

DE DIAGNOSI.

Diarrhoea eſt affectio, cui dyſenteria maxime confundi periclitatur; et ipſorum convenientia,

et

et ſignorum, quae in mitiori hujus, et graviori illius forma, contingunt, ſimilitudine, accuratius perpenſis; illas pro eadem fere affectione, magnitudine ſolum diverſa, habitas fuiſſe, minime mirandum videtur; has quidem affectiones a ſe invicem, praeciſe et accurate, diſtinguere difficile eſt: Sequentia autem ſigna praecipua ſunt quibus hoc aggrediendum eſt, pyrexia, tormina graviora, teneſmus, et dejectiones frequentes, plerumque dyſenteriam a diarrhoea, diſtinguere poſſunt; in hac enim nulla eſt febris primaria, tormina et teneſmus leniora exiſtunt, neque dejectiones ſanguinolentae ſiunt. Et in diarrhoea ſtercora naturalia dejiciuntur, quae, paucis diebus elapſis, in dyſenteria plerumque retinentur, et nunquam fere niſi forma globulorum induratorum, qui ſcybala vocari ſolent, excernuntur. Sed pyrexiam, haud ſemper ſub dyſenteriae initium, percipere poſſumus; illam autem interdum diarrhoeam incipientem comitari obſervamus; pyrexia igitur diſtinctionem falli neſciam

minime praebet, et dyſenteriae tentatio haud gravior, tormina et teneſmus haud vehementiora et dejectiones aeque naturales, ac in diarrhoea praeter ſolitum gravi, obſervata fuerunt.

Quando vero hi morbi eo uſque progreſſi fuerint, ut ſpecies ſibi proprias induant, et indicia minime ambigua quibus plane inſigniuntur, oſtendant, nullo fere negotio dignoſcuntur. In diagnoſi autem inſtituenda, ad hoc, num morbus nimirum contagioſus eſt, animus ſedulo advertendus. Dyſenteria enim plerumque, diarrhoea vero nunquam, contagio vulgatur.

Haemorrhois forſan aliquam cum dyſenteria ſimilitudinem habere videatur; ſed ani tumores haemorrhoidi proprii ſunt, et praeterea tormina atque teneſmus, quibus dyſenteria inſignitur, in illa deſunt; haec igitur ſigna has affectiones facile a ſe invicem ſecernere valent.

Cholera haud difficile a dyfenteria internofcitur, fellis vomitione, dejectionibus copiofis ac felleis, furarum fpafmate, et eo quod tormina et tenefmus defunt.

DE CAUSIS REMOTIS.

Hae quidem in praedifponentes et excitantes rite diftribuuntur; illae corpus harum actioni opportunum reddunt, et funt plerumque omnia quae corpus, directa, vel indirecta vi infirmant. Caufas praedifponentes, omnes fere tam bene norunt, ut illarum meminiffe fupervacaneum mihi videatur.

Haud parva quidem caufarum excitantium varietas, ab auctoribus, qui de hoc morbo differuere, in medium allata eft; harum vero plures, pofito effectui edendo, minime pares videntur:

Caete-

Caeterasque, quae multo efficaciores videantur, hoc solum agere, ut corpus contagio opportunum reddant, facile quidem adducar ut credam. Causae quae, ut omnes bene norunt, motum intestinorum peristalticum, vel stimulo suo, vel humorum cursum, majori copia, eadem versus faciendo augent, quales sunt, acria quaevis, fel, fructus, cutis exhalatio suppressa, hunc morbum inferre dicuntur. Similitudo quidem, quae dysenteriam inter et diarrhoeam, quae ex his causis haud raro provenit, intercedit: Et hoc, quod eaedem corporis partes, in utraque affectione simili fere modo afficiuntur, huic opinioni, cui quidem favere videntur, ansam praebuisse, mihi apparent. Quamvis autem magna utriusque affectionis, quippe quae eandem corporis partem afficiunt, signorum similitudo existat, oportet. Cadaverum incisione, peculiarem affectionem loco propriam in dysenteria existere, signaque quaedam generalia, quae in diarrhoea raro contingunt, eandem semper comitari, demonstratum

fuit.

fuit. Et ſane ſi dyſenteriam, in quibuſdam anni tempeſtatibus, et peculiaribus terrae locis, ſolis contingi, perpendamus, alia cauſa excitans, quae ſemper ſibi conſtat, meo quidem judicio, indagetur oportet.

Contagium quodammodo generatum cauſam dyſenteriae frequentiſſimam exiſtere veriſimillimum videtur ; dyſenteriam contagio ſemper vulgari omnes fatentur. Aliae vero cauſae ad hanc excitandam conſpirare; et contagii actioni favere, videntur.

Ex quibus rebus circumſtantibus, qualibuſque cauſis, haec affectio frequentius oriatur, quaerere forſan operae praetium videatur: Haec autem omnes, qui in contagiorum naturae, originis, ac fontium indagatione, quam leviſſime verſati ſunt, penſum peractu difficillimum, concedant oportet.

Dyſenteria

Dyſenteria quibuſdam anni tempeſtatibus, in locis quibuſdam humidis ac humilibus, ubi aer vaporibus, qui calore ac humore generantur, imbutus eſt, prodire ſolet; fontes autem contagii dyſenterici copioſiſſimi ſunt naves, caſtra, carceres. Rerum concurſus, qui morbum, in hujuſmodi locis, gignere videntur, ſunt,

Veſtitus malus; diaeta inſalubris, aut nimis tenuis ac parca;

Solicitudo, et animus demiſſus;

Frigus et humor.

Et aer impurus factus poteſtatibus nocentibus, oriundis ex vaporibus e corpore humano in unum quaſi conflatis, et a rebus ex frugibus et animalibus derivatis, corrumpentibus, et colluvie generali, quae in locis, ubi munditiae non coluntur exiſtet, oportet.

Nonnullas ex his, caeterarum, utpote morbum

bum excitantium, actioni favere, facile credide-rim. Diaeta abnormis, ac parum falubris, et veftimenta mala, corpus infigniter debilitant; et probe novimus homines, folicitudine et animo demiffo conflictantes, mirum in modum contagii actioni opportunos effe. Quamvis autem omnes, vel fingulae harum caufarum proclivitatem in morbum infignem inducunt, dyfenteriae tamen, viribus fibi propriis, inferendae minime pares videntur.

Frigus quoque humori conjunctum, quod omnes omnium, quae corpus morbis contagiofis opportunum reddunt, caufarum validiffimam agnofcunt, pro excitante dyfenteriae caufa habitum eft; corpori admotum cutis exhalationem minuit, et humores magna copia ad partes internas avertit, et varias excretiones infigniter auget: Et quo majori calori corpus antea affuetum fuit, eo majorem effectum hunc praeftare folet. In regionibus fervidis, calor corpus irri-

tabilius,

tabilius, levibusque, et vix percipiendis coeli mutationibus affectu facile reddit; et rores copiosos et insalubres his regionibus incumbere probe novimus. Milites, qui in his rebus circumstantibus, dum muneribus suis funguntur, frigori et humori objiciuntur, dysenteria tentari solent; et hinc opinionis origo.

Diarrhoeam frigore et humore, idque forma sua maligniore, induci constat; haec autem affectio dysenteriam adeo refert, ut non, sive gravi ratione, hos morbos saepe sibi invicem confusos fuisse, suspicari fas sit: Saltem si, dysenteriam veram in his rebus contigisse, concedatur; fieri enim potest, ut milites dysenteriae contagio, quod frigore adjuvante in actionem rapitur, antea objecti fuerunt. Cum frigus, humor, et aer impurus ac coruptus, in omnibus locis, ubi dysenteria se ostendit, ad hanc excitandam conspirant, utra harum causarum proxime morbum infert, dijudicatu difficile imprimis videtur.

Cum

Cum autem frigus, corpora humana, omnibus morbis contagiofis, quam maxime opportuna reddit, adeo ut typhus, quae plane affectionibus a contagio oriundis annumeranda eft, ipfi haud raro imputetur : idem viribus fibi propriis, atque calida tempeftate et aëre corrupto non adjuvantibus, ad dyfenteriam excitandam, nifi actioni contagii opitulando, minime valere, probabile videtur.

Dyfenteriam vaporibus ex corpore humano et animalibus et frugibus putrefcentibus, originem fuam maxime debere, facile perfuafum erit nobis; modo ad duas res, nimirum anni tempeftatem et terrae loca, in quibus graffari folet, animum advertamus. Anni tempeftas qua morbus incedit, eft tempus autumnale calidum, quando fruges, geniali folis aeftivi beneficio, maturae jam factae, marcefcere, cadere, et putrefcere, incipiunt: Et infecta aliaque animalia, ovis fuis pofitis, moriuntur. Hae res, hac anni

tempeſtate, calore intenſo, in putredinem rapidè feruntur; et aliquid noxium ex iiſdem avolat. In humilibus et humidis terrae locis, in quibus hae res non minus abundant, viribus quibus calor in eiſdem pollet, humor haud parum opitulatur; quod horum locorum aëra, natura impurum, multo inſalubriorem, reddit.

Res quae aëra in caſtris corrumpunt, bene notae ſunt. Illarum praecipuae videntur, effluvia ingentis mortalium numeri conferta turba conviventium, ingens rerum vis, corruptioni obnoxiarum, quae in caſtris coacervantur, et immunditia inevitabilis, quae ibi loci generaliter invaleſcit; et forarum inopia: Quorum omnium effectus et vis, fervido ſolis calore, humilique locorum, in quibus dyſenteria vigere ſolet, ſitu, et humore, perinſigniter augentur.

DE

DE SIGNORUM RATIONE.

Contagium, quodammodo generatum et aëris ope corpori admotum, frequentiſſima dyſenteriae verae cauſa excitans eſſe videtur. Praeter febrem generalem, partis corporis determinatae quoque affectionem inducit. Nulla nobis innoteſcunt principia quibus ratio reddi poteſt, quonam operandi modo, hoc, caeteraque contagia, eundem effectum, eademque phaenomena, ſpecialemque partis affectionem, conſtanter edunt. Sunt qui opinanur ſe rem expoſuiſſe, dicendo, contagium *ſpeciali* ac ſibi proprio modo agere; haec autem vocabula minime rem expediunt: Nec aliud quam noſtram, rei factae, cujus forſan rationem nunquam reddere valebimus, ignorantiam enarrandi artificium, videntur.

Dyſen-

Dyſentericum contagium ad majora inteſtina potiſſimum, natura ſua, defertur; eiſque ſigna quaedam moleſtiſſima, quae gravem morbi partem efficiunt, excitat. Hujus affectionis naturam quantulufcunque indagandi conatus, eſt quaſi gradus, et aditus, ad ſigna explicanda.

Cadaverum inciſione conſtat, inteſtina craſſiora dyſenteria laborantium, inflammationem paſſa fuiſſe, ulcerata, ſuppurata, et imo gangraena affecta. Colon et rectum ſaepiſſime laborant; tunica eorundem villoſa prima afficitur, haud raro indurata, perdita vel exeſa fuit; progrediente morbo, inflammatio in caeteras tunicas diffunditur.

His principiis innixus Profeſſor Monro tunicae villoſae inflammationem, proximam morbi cauſam, hocque jure quidem, ut mihi videtur, collegit.

Haec

Haec quidem inflammatio neque ad actuosam, neque ad illam, quae sine aucto vasorum impetu fit, referenda est; ad harum enim neutram mere pertinet. Vix quidem dubitari potest, quin inflammationis vis, atque magnitudo, ex proclivitate in morbum, et habitu aegri corporeo, sicuti in aliis morbis contagiosis contingit, haud parum pendeat.

Varia autem contagia, pro diversa ipsorum natura, alias, in aliis corporis partibus, inflammationes accendunt: Quae, nulla partis affectae fabricae ratione habita, species diversas induunt. Sic, exempli gratia, in Peste, glandulis lymphaticis inflammatio, quae naturae, atque vero hujusce contagii specialis congener respondit, quoque praeceps in gangraenam fertur, penitusque distat ab inflammationibus ex aliis causis oriundis, supervenire solet.

Hoc quidem adhuc manifestius est in Cynan-

che

che maligna, ubi contagium ſpeciale inflammationis ſpeciem, ſignis peculiaribus comitatam, penituſque ab illa earundem partium inflammatione, quae ab aliis cauſis provenit, et Cynanche Tonſillaris vocatur, excitat.

His poſitis, dyſentericum contagium inteſtinis craſſis inflammationem inferre, contagio ipſo modificatam, ſigniſque et ſpecie peculiaribus, ex eadem cauſa pendentibus, diſtinctam, veriſimile videtur. Huic igitur innixi ſignorum rationem facile reddi poſſe, opinamur. Signa eodem ordine, quo a Cel. Culleno enumerantur, exſequemur.

Dejectiones frequentes mucoſae.—Omnes norunt, ſuperficiem ſecernentem inflammatione affectam, proprium ſuum humorem, ſolito majori copia, profundere: Quando igitur tunica inteſtinorum interna inflammatur, mucus magna copia ſecernatur, opportet; hinc hujuſce ſigni ratio

tio facile redditur. Huic quidem ratiocinio aliquid ponderis accedit, quando nobiscum reputaverimus, inteſtina faecibus conſtanter irritari. Fatendum eſt, ſecretionem muci adauctam neque in Enteritide Phlegmonodea, in qua partes fere eaedem inflammantur, adeſſe; neque in Enteritide Erythematica, quamvis in hac, tunica interna ſola inflammatur, et valde irritabilis fit, et diarrhoea adeſt, unde fluxus muci depravatus, et ſpecialia dyſenteriae ſigna, jure expectanda forent, haud tamen adſunt; omnibus igitur perpenſis, hoc ſignum, dejectiones nimirum mucoſas, a dyſenteria ſeparari non poſſe, et una cum hac inflammatione inteſtinorum ſpeciali, quae hoc contagio admoto accenditur, potiſſimum oriri nobis concedendum eſt. Hoc quidem, ſimilitudine ab aliis contagiis ducta, veriſimillimum videtur: et magis confirmatur experimentis in dyſentericis nuper factis, ex quibus, notabilem humoris quantitatem a cute reſorberi, conſtat, quaſi natura hoc modo humorum copiam,

piam, frequentibus alvi dejectionibus amissam, compensari voluerit.

Dejectiones Sanguinolentae—vasis sanguinem vehentibus inflammatione erosis, vel abnormi coli motu ruptis, exponuntur.

Faecum retentio.—Hujusce signi, quo Cel. Cullenus inductus, spasmum pro causa morbi proxima habuit, hoc modo rationem reddimus. Tubus alimentarius est musculus cavus, qui ejus contenta, stercora scil. ab ipsis irritatus propellit inflammatio hujusmodi musculi, ejus mobilitatem, et vim irritabilem, uti in aliis musculis observatur, insigniter auget: Eaque est musculi, sic justo irritabilioris facti, in motus abnormes proclivitas, ut vix, meo judicio, fiere possit, quin spasmo corripiatur. Fabrica autem coli, quod, intestinum in hoc morbo praecipue afficitur, est admodum singularis; cellulis instructum est: Hinc partes quaedam, caeteris angustiores, sunt; spatiola

ſpatiola inter partes anguſtiores, ampliora et capriciora ſunt, et cellulas efficiunt, in quibus ſtercus illapſum, inteſtinum, jam plus juſto ob inflammationem irritabile, in contractionem ciet; cum autem quadam niſus magnitudine opus eſt, ad partium anguſtiam, quae niſui reſiſtit, vincendam; vis admota, ſpaſmum ipſis, in motum abnormem, ob inflammationem, jam inſigniter proclivibus, infert, et hoc modo ſtercoris tranſitui magis reſiſtitur. Hinc plane ſequitur, ſpaſmum non eſſe cauſam morbi proximam, ſed potius inflammationis, viſcus fabricae, et muneris ſingularium corripientis effectum.

Colon plus juſto jam irritabile ac ſentiens, ſtercoriſque ſtimuli impatiens, in frequentes et irritos, ſe materie nocente expediendi niſus rapitur, inde oriuntur *Tormina*.

Idem viſcus plurimis glandulis mucoſis inſtructum eſt, quibus ab ſtercoris acrimonia de-

fenditur; hujufmodi fuperficiei inflammatio, auctam illarum glandularum fecretionem movet.

Porro, noxius ftercoris ftimulus, hanc fecretionem magis adhuc auget, et forfan, conftante inteftinorum actione glandulas ftimulante, et emulgente, corrumpit, hic mucus acris, teneris et irritabilioribus recti, jam morbofi affecti, tunicis admotus, pro caufa *tenefmi* haberi poteft.

Scybala nihil aliud funt, quam ftercus, quod hanc formam in coli cellulis, ubi validius retinetur, adipifcitur, partibus liquidioribus expreffis.

Stranguria, ex confenfu rectum inter et veficam, vel ex illius inflammatione, cum hac communicata, pendet.

DE

DE PROGNOSI.

Dyſenteria nunquam periculo vacat; ſi ſigna non mitigantur, primo alvi purgatione, et vomitione medicamento vomitorio excitata, praeſertim in aegris, qui quovis modo infirmantur, veluti morbis praegreſſis, putridiſque praeſertim, uti vocari ſolent; quales ſunt ſcorbutus.

Si enim tormina et teneſmus, alvo evacuata, non levantur, aliquid maligni ſubeſſe, obſervatur.

Si pueros debiles, mulieres gravidas, et aetate provectos, corripienti non ſtatim occurratur; exitus infauſtus plerumque timendus eſt. Febris nervoſa vel typhus, utrum 'ſub morbi initium, vel finem verſus, ſupervenerit, plurimum periculum ſemper habet.

Synocha

Synocha cum manifeſtis inflammationis ſignis, et interdum magna in putredinem proclivitas, adſunt: Haud leve ex utroque periculum imminet; putredinis ſigna ſunt, aphthae, petechiae, maculae, vibices, &c. et ſemper ſunt peſſimi ominis; ſingultus, variis morbi ſtadiis, ſupervenire ſolet, et plus minuſve periculi, pro morbi ſtadiis diverſis, habet: Si hoc ſignum mature accedat, nihil fere periculi timendum eſt; ſin, morbo inveterato ſupervenerit, ſummum periculum inſtare denunciat.

Pulſus parvus, debilis, et abnormis, urina et ſtercus, neſcio aegro, elabentia, et potiſſimum gravia tormina, modo vix toleranda, jamque ſubito ceſſantia, mortem appropinquare indicant.

Cel. Huxham urinam parcam, et limpidam, et Baglivi Icterum ſupervenientem, peſſimis ſignis annumeraverunt. Aliqua tamen ſpecula, quamdiu

diu ſtercus et urina, voluntatis imperio ſubjiciuntur, ſemper fovenda eſt.

Si autem ſigna, medicamentis idoneis, brevi mitigantur: Si dejectiones ſpeciem naturalem recuperant, et ſimul copioſiores evadunt; ſi tenesmus, tormina, et ſitis, levantur; ſi pulſus fiat mollior, plenior, et minus frequentior; ſi lingua munda evadit; et denique ſi ſomnus, et cibi appetentia, redeant; fauſtus eventus, non ſine ſumma quadam fiducia, ſperandus eſt.

DE RATONE MEDENDI.

Ex morbi hiſtoria conſtat, pyrexiam, quae, in hac affectione accenditur, in diverſis morbi exemplis eſſe diverſam; medendi igitur conſilia diverſa ſint, opportet; modo enim diatheſis putrida, cum febre nervoſa, mature ſe oſtendit; vel, morbo

morbo inveterato, fupervenit; modo autem diathefis phlogiftica, cum manifeftis inflammationis fignis, urget. Qualifcunque vero pyrexia fuerit, ftercora indurata, quae fcybala nominantur, et morbofa materies, in aliqua inteftinorum parte, et plerumque in coli cellulis, fedem fuam figunt; inteftinaque ufque ad inflammationem affecta, exedunt, exulcerant, et diram fignorum cohortem inducunt.

Haec quidem pathologia, cadaverum incifione, innititur; medendi igitur confilia, quae jam fequuntur, huic morbo quam optime accommodata, videntur:

I. Materiem morbofam et fcybala evacuare.

II. Inteftina ab acrimonia defendere.

III. Debilitati et putredini occurrere.

IV. Diathefin phlogifticam tollere.

V.

V. Spaſmum ſolvere et ſigna moleſtiora levare.

Primum conſilium, vomitione, et alvi purgatione, abſolvitur: Morbi igitur initio, medicamentum vomitorium praeſcribendum eſt, niſi diatheſis phlogiſtica ea ſit, ut ſanguinis detractionem praemittendam poſtulet.

Medicamenta vomitoria ex vegetabilibus, vel foſſilibus rebus, derivantur; illorum princeps eſt Ipecacuanha: Horum autem praecipua ex antimonio parantur; qualia ſunt, antimonium tartariſatum, vinum antimonii tartariſati, &c. medicamentorum vomitoriorum, in hoc morbo, delectus nunquam quidem omittendus eſt; ex antimonio enim parata, vires, mirum in modum, convellere ſolent; hinc debilioribus nunquam forſan praeſcribenda ſunt: praeſertim in regionibus calidis, in quibus debilitas, et in putredinem proclivitas, inſigniores eſſe ſolent: Regio-

nibus

nibus frigidis quidem, ubi phlogiſtica diatheſis dominatur, melius accommodari, videntur; et in morbi exemplis, ubi vires parum franguntur, egregios effectus interdum praeſtare ſolent. Sub morbi igitur initium ipecacuanha, ad grana circiter quindecem, adulto tuto praeſcribi poteſt; et vomitio chamemaeli infuſione promovenda eſt; hoc modo ventriculus evacuatur: et modo idoneus corporis calor ſervetur, ſudor lenis prorumpere ſolet, quae res, praeſertim morbi initio, ſigna haud parum levat *.

Inutile quidem videtur, omnia cathartica enumerare, quae variis temporibus, a variis medicis, in hac affectione laudata fuerunt: Cathartica draſtica olim praeſcribi ſolebant; horum autem uſum, quippe quae diros effectus nonnunquam ediderunt, dies, et experientia, neſcia falli, delevit; et hic dierum, clinici mitiora ſola praeſcribere ſolent; qualia ſunt ſales neutri, et oleoſa

* Vid. Zimmerman.

oleosa medicamenta. Alvus singulis diebus, vel quolibet biduo, vel triduo, prout res postulaverit, leniter laxanda est; magnesia *vitriolata*, soda *phosphorata*, soda *tartarisata*, vel parvis antimonii *tartarisati* dosibus, justis intervallis interpositis. Colluvies putrida, in tubo alimentario collecta, sic foras expellitur; et scybalis formandis valde resistitur.

Soda *tartarisata*, vel soda *phosphorata*, jusculo ovillo, aut alio quovis grato soluta, caeteris salibus neutris multo gratiora comperiuntur. A quibusdam magnesiam vitriolatam verminationem minus excitare fertur.

Cel. Lind haustum anodynum sub noctem dari suadet; et tormina ac tenesmus, quae somnum arcere solent, hoc medicamento multum levari et consopiri observavit; ei tamen alvi purgatio semper praemittenda: Si enim scybala adsint, opium morbum insigniter augere solet.

Cel. viri Pringle et Huxham rheum ſummis laudibus proſequuntur; ille rheum, paucis hydrargiri muriati mitis granis conjunctum, nunquam ſpem ſuam fefelliſſe, aſſerit: Hic in caſibus, ubi dyſenterici verminant, hydrargirum muriatum mitem, rheo conjunctum, ad vermes expellendos, commendat.

Vitrum antimonii ceratum a cel. viris Cleghorn et profeſſoribus Home et Black, multum laudatur; illi vero antimonium *tartariſatum* anteponendum opinatur Profeſſor Gregory, qui rheum quoque improbat; judicent periti et experti.

Hydrargiri uſum commendat cel. Clark; dyſenteriam, tam acutam quam chronicam, hydrargiro muriati miti, felici cum eventu, ſanaſſe, aſſerit; morbus enim, inquit, uti poſt aliorum medicamentorum uſum ſaepe contingit, raro aut nunquam recrudeſcit.

Quod

Quod hydrargiri muriati mitis administrationem attinet, ita praescribendum monet, ut alvi purgatio non fiat: Boli forma, ex antimonii tartarisati grano dimidio, hydrargiri muriati mitis granis quinque, et opii pauxillo conflati, aegro febricitanti, hora somni, praescribere solebat. Si stercora, post grana triginta vel quinquaginta hoc modo usurpata, speciem suam naturalem non recuperant; tunc opium omittendum censet, et hydrargirum, dosibus alvi purgationi paribus, praescribendum commendat; hoc modo morbum plerumque sanari dicit. Medicamenti quantitas in aliis exemplis est alia grana triginta vel quadraginta in plerisque casibus necessaria sunt: Modo autem morbum quantitati multo minori cedere affirmat.

Cum autem in hoc morbo intestinorum mobilitas mirum in modum augetur, hydrargirum muriatum mite, morbo vetusto, casibusque acutis, in quibus solita remedia incassum tenta-

ta fuerunt, accommodari videtur. Oleum Ricini in hac affectione saepe quam optime respondit; modo recens ac blandum sit; rancidum enim tormina acerbare solet. Intestina ab acrimonia defendenda sunt demulcentibus medicamentis: Qualia sunt decoctum hordei, althei jusculа blanda.

Huic quoque consilio bene respondent lotiones emollientes ex aqua tepida, et oleo blando, vel jusculo ovillo conflatae; quae res, partem affectam fovendo, et oblinendo, tormina ac tenesmum insigniter levant. Hoc autem memoria tenendum, alvi scilicet purgationem, semper esse praemittendam; harum enim prosunt nisi stercora indurata evacuantur; haec medicamenta, prout res postulaverit, usurpanda sunt.

Debilitati ac putredini occurritur, medicamentis roborantibus, stimulantibus, et antisepticis.

Inter roborantia medicamenta princeps eſt cortex Peruvianus; qui igitur ſub morbi initium, cum primum ventriculus, ac inteſtina, colluvie ſua expediuntur, libera manu, aëre ſimul frigidulo, et recenti, in aegri cubiculum admiſſo, adminiſtrandus eſt. Si alvum forte cieat, quod interdum fit, opii portio ſimul praeſcribenda eſt. Medicamentorum ſtimulantium optimum eſt vinum generoſum, Luſitanum Maderenſe.

Caeteris anteponenda ſunt Burdigalenſe, quo debilior eſt aeger, eo maturius praeſcribenda ſunt cortex et vinum; et forma, quae febricitanti maxime arridet, ſemper adhibenda ſunt.

Interea mundicia ſumma cum ſolertia et diligentia colenda eſt. Haec enim in omni morbo, et praeſertim in dyſenteria, maximi momenti eſt: Stragula igitur ſaepe mutanda, et excreta ſedulo amovenda ſunt; nec matula, niſi prius probe abluta, in aegri cubiculum, quod aëre recente ventiletur opportet, adferenda eſt. Putredini

tredini quoque occurritur, excretiones ſuſtinendo alvum ducentibus, diureticis, et diaphoreticis medicamentis.

Optimum in hoc morbo diureticum medicamentum videtur vinum Rhenanum, aqua dilutum, et ſacchari pauxillo gratius factum.

Diatheſis phlogiſtica tollitur, remediis, quae vim cordis et arteriarum minuet; inter haec autem ſanguinis detractio praecipue eminet. Cel. D. Monro hoc remedium, in quibuſdam caſibus, optimos praeſtare effectus, comperit; nec mirum, cum inflammationem praecipuam cauſae proximae partem eſſe reputaveris. In dyſenteriis autem autumnalibus, ac aeſtivis, et praecipue in plagis terrae calidis, ſanguinis detractio caute praeſcribenda eſt: In hujuſmodi enim terrae locis, ac anni temporibus, ingens eſt hujus morbi in putredinem proclivitas. Si tamen inflammationis ſigna manifeſta ſiant, ſanguinis

guinis detractio procul dubio omnino necessaria existit; et praesentim in vernis et hyemalibus dysentericis, et in regionibus frigidis, in quibus diathesis phlogistica vigere solet; nam, in plagis terrae calidis, hac ex inanitione raro opus est: Quamvis enim febris, caeteraque signa, illam postulare videantur. Alvo purgata, tormina, et tenesmus, aliaque signa, remittere solent.

Spasmus solvitur remediis quae humorum cursum ad corporis superficiem faciunt. Medicamenta vomitoria, quae ad primum consilium absolvendum supra commendavimus, huic pariter optime conveniunt: Cutis enim exhalationem, ob consensum hanc inter et ventriculum, insigniter promovent; quae res in hac affectione est summi momenti quidem. Exhalatio per cutem enim in dysenteria adeo reprimitur, ut cel. Sydenham eandem febrem in intestina retroversam nominaverit, parvi igitur, opinor, facienda

da ſunt, quae cel. Degner medicamentorum diaphoreticorum uſui objecit *.

Huic pariter conſilio bene accommodantur remedia veſicantia, qualeſcunque demum fuerit febris, quae morbum comitatur. Spaſmum enim ſolvendo, diſtributionem ſanguinis abnorme, ab inteſtinis inflammatis, avertunt, et hoc modo inſigniter proſunt; diluentium uſu interea cavendum, ne vias, per quas urina tranſit, irritando, ſtranguriam vel inducant, vel praeſentem augeant. Camphora ad hos malos effectus praecavendas a Profeſſore Home commendatur.

Balneum tepidum, ac fotus, eidem quoque reſpondent; obſervandum eſt autem, balneum tepidum haud temere eſſe adhibendum; in magnae enim debilitatis exemplis, hoc remedium plurimum periculi habet; fotus vero, in omni fere exemplo, tuto, et non ſine fructu, adhiberi poteſt.

Signa

* Degner de Aëre et Epidemicis.

Signa molestiora, qualia sunt tormina, tenesmus, et delirium, anodynorum et demulcentium medicamentorum usu mitigantur. Nec male quidem huic consilio accommodantur potus copiosus et mitis, quale est decoctum hordei, sacchari pauxillo gratius factum, et diaeta idonea, veluti uvae, fraga, aurantia, sago, et juscula. Fructus quidem, morbo nondum longe provecto, potissimum conveniunt; nam morbi finem versus, quando ventriculi acor supervenire solet, caute vitandi sunt: Tunc quidem remedia antacida, qualia sunt potio cretacea, et roborantia medicamenta, de quibus supra egimus, utilia fiunt.

FINIS.

